



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

17 Vtrum maius peccatum sit cum aliquis mentitur facto, quàm cum  
aliquis mentitur à verbo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



statu presentis vite per sacramenta gratie Christi remouetur peccatum originale quantum ad iniquitatem anime, vt non imputetur hoc ad culpam. Remanet tamen interim quantum ad corruptionem somitis in carne, vnde Apost. dicebat ad Ro. 7. Ego ipse mecum seruo legi Dei, carne autem legi peccati, in quantum concupiscit aduersus spiritum, vnde homo baptizatus secundum mentem viuunt in nouitate spiritus, sed in carnem adhuc retinet vetustatem Adæ. Et ideo sicut per spiritualem generationem, qua per euangelium alios producit filios in Christo absque peccato, ita etiam secundum generationem carnalem producit filios in vetustatem Adæ cum peccato originali.  
Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS XVI.

*Vtrum in peccato actuali prius sit auersio, quam conuersio.*

2. lig. c. 23  
q. 2. ar. 3. 1.  
et 3. q. 26. 2.  
4. ad 3.

**A**D SECUNDVM sic proceditur. Videtur, quod in peccato actuali prius sit auersio, quam conuersio. Auersio enim importat recessum a termino, conuersio autem accessum ad terminum: sed in motu corporali prius est recessus a termino, quam accessus ad terminum, ergo & in spiritali motu prius est auersio quam conuersio.

**SED CONTRA** est, quod Dio. dicit 4. c. de di. no. Nemo intendens ad malum, operatur, sed intendens ad bonum; ergo prius alius peccantis conuertitur per appetitum ad bonum commutabile, quam auertat a Deo.

**RESPON.** Dicendum, quod peccatum principaliter in voluntate consistit, vt Aug. dicit. Quantum autem ad voluntatem illud est prius, quod principaliter intendit, & ideo in peccatis, in quibus principaliter intenditur fructio boni commutabilis, sicut in luxuria, auaritia, & similibus, prius est naturaliter conuersio quam auersio, quæ non est principaliter intenta, sed præter intentionem consequitur ex inordinata conuersione. In peccatis autem, in quibus directe intenditur auersio a Deo, sicut est infidelitas, desperatio, & alia huiusmodi, prius est auersio ab incommutabili bono, & postea est conuersio ad commutabile bonum, sicut patet in illis, qui desperantes seipsum tradat impudicitie, vt dicitur ad Ephe. 4.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod quamuis in motibus operabilibus recessus a termino prior sit in executione, accessus tamen ad terminum prior est in intentione, in qua principaliter consistit peccatum.

ARTICVLVS XVII.

*Vtrum maius peccatum sit cum aliquis mentitur facto, quam cum aliquis mentitur uerbo.*

**A**D TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod maius peccatum sit cum aliquis mentitur facto, quam cum aliquis mentitur uerbo. Maius enim peccatum esse videtur, cum aliquis mentiendo abutitur eo, cui magis creditur: sed sicut Ansel. dicit in li. de ueritate magis creditur factis quam uerbis, ergo grauius peccat qui mentitur factis, quam uerbis.

**SED CONTRA** est, quod Au. dicit in li. de doctrina christiana. Inter omnia signa præcipuum locum tenent uerba: his autem abutitur ille qui uerbo mentitur, ergo videtur quod grauius peccat ille qui mentitur uerbo, quam ille qui mentitur facto.

**RESPON.** Dicendum, quod sicut Amb. dicit in quodam sermone. Non solum in falsis uerbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est. Peccatum autem mendacii principaliter quidem consistit in intentione fallendi, unde ille qui dicit falsum, quod putat esse uerum, non mentitur. Magis autem est reus mendacii ille qui dicit uerum, quod putat esse falsum, ut patet per Aug. in lib. de mendacio. vnde cum eadem intentio fallendi sit in eo qui mentitur facto, uterque equaliter peccat. Verbum enim & factum assumuntur ut instrumenta fallendi, unde non refert quantum ad peccatum mendacii, utrum aliquis uerbo, uel scripto, uel notu, uel quocumque facto mentiat, sicut non refert quantum ad peccatum homicidii, utrum quis gladio, uel securi interficiat hominem.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QUESTIO III.

ARTICVLVS XVIII.

*Vtrum aliquis possit esse naturaliter, uel miraculose simul uirgo & pater.*

**D**EINDE quaesitum est circa corpora hominis, utrum saliquis possit esse naturaliter, uel miraculose simul uirgo & pater, & videtur quod hoc possit esse miraculose, quia pater & mater simul sunt generationis principia: sed aliqua mulier miraculose fuit simul uirgo & mater, ergo pari ratione aliquis uir miraculose potest simul esse uirgo & pater.

**Item.** Videtur quod hoc possit esse absque miraculo, quia daemon incubus potest furari semen uiri uirginis in somnis pollui, & transfundere in matricem mulieris, ex quo quidem semine potest concipi proles, cuius pater non est daemon incubus, sed ille ex cuius semine generatur, quod agitur in utero eius a quo est resolutum, ergo uidetur quod et absque miraculo possit aliquis simul esse uirgo & pater.

**SED CONTRA.** Mulier absque miraculo non potest simul esse uirgo & mater, ergo pari ratione nec uir absque miraculo potest simul esse uirgo & pater.

**Item.** Videtur quod nec per miraculum, quia si filius Dei, qui est natus miraculose de uirgine, ex aliqua parte corporis uirginalis carnem assumpisset eam ex illa, unde mulier naturaliter concipit, puta de manu, aut pede, non diceretur filius uirginis, sicut nec Eua dicta est filia Adæ, quamuis sit formata de costa ipsius: sed non posset contingere filio uirginitate uiri, quod ex eadem parte corporis, & in eodem loco plerumque generaret, sicut naturaliter generatur, ergo nec etiam miraculose fieri posset quod aliquis simul esset uirgo & pater.

**RESPON.** Dicendum, quod ad huius evidentiam videre oportet quid ad uirginitatem requiratur. Requiritur autem tria ad eius perfectionem, quorum primum est principale & formale, scilicet, siue intentio uoluntatis, sicut & omnibus moralibus, unde istud ex necessitate ad uirginitatem requiritur, quod ad sit alicui assidua uoluntas nunquam experiendi delectationem uenerem. Secundum autem est materiale, scilicet passio appetitus sensitui, scilicet delectatio, quam quis experitur in actu uenerico, cuius priuatio requiritur ad perfectam uirginitatem materialiter. Nam passiones sensitivæ sunt materia uirtutum moralium. Si in præter electione propria uoluntatis hoc contingat, uita, cum quis in sono polluit uel cum mulier per uolentiam ab hoste opprimatur, non perit uirtus uirginitatis, ut patet per Augustinum de Ciuitate Dei. Tertium autem est quod per accidens, & committitur